UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXVIII. Clericvs Non Sit Simvlator & fallax.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

Iterum S. Hier. epist. 83. ad Oceanum c. 4. & habetur dist. 43. c. 1. *Quod autem doctrina à Sacerdotibus expetatur, & veteris sunt præcepta legis, & ad Titum plenius scribitur. Innocens enim & absq; sermone conuersatio, quantum exemplo prodest tantum silentio nocet: nam & latratu canum baculoq; pastoris luporum rabies deterrenda est.*

§. S. Gregor. libr. 2. epist. 25. & habetur. dist. 34. c. 11. *Præcipimus ne vnquam ignorantem literas ad sacros Ordines permittas accedere.* Et 1. p. Past. c. 1. idem S. Pontifex & habetur dist. 38. c. 11. *Qui ea, quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur. Paulo attestante, qui ait 1. Cor. 14. v. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Quæ nimirum pastorum sæpè imperitia meritis congruit, sæpè subiectorum: quia quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant: districto tamẽ Dei iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam, hi etiam qui sequuntur, offendant Matth. 15. vers. 14. Si cæcus cæco ducatum præstet ambo in foueam cadunt.* Hilarius Papa cum Synodo Romana c. 3. & habetur dist. 55. c. 3. *Pœnitentes & insciti literarum aut aliqua membrorum damna perpessi ad sacros ordines aspirare non audeant.* De hac materia tota est distin. 59.

CAP. LXVIII.

CLERICVS NON SIT SIMVLATOR & fallax.

§. CApitale simulationis & fallaciæ odium contineant, vt omnia sincerè, simpliciter, candidè, nihil veteratoriè & subdolè agant & tractent. Recto pectore quod probandum probetur, ꝙ improbandum, improbetur. Veritatis est simplex oratio non fucata. Hoc non solum ab Episcopis & Sacerdotibus, sed etiam ab ipsis Diaconis & reliquis Ecclesiæ administris exigit Apostolus 1. Timoth. 3. vers. 8. *Diaconi*, ait, *Similiter pudicos non bilingues non multo vino deditos non turpe lucrum sectantes. Non sint bilingues, hoc est*, inquit

S.Chrysost.hom.11. in hanc epistolam, *non simulatores, non dolosi. Nihil enim ferme nos ita degenerare à spiritali nobilitate facit, vt fraus atq; dolus. Nihil in Ecclesia nocet magis, quam versuta simulatio. Bilinguis est, qui aliud profert ore, quam habet in corde, atq; ita fallit eum, cui loquitur, vt docet V. Beda in c.* 18. *Prouerb.* 8. *Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsq; ad interiora ventris.* 1.quasi defixius in ventre gladius cruciant. *Hi sunt*, vt habet Apostolus, *qui in hypocrisi loquuntur mendacium, & cauteriatam habent suam conscientiam* 1. Tim. 4. v. 2. *qui habent speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegant.* 2. Tim. 3. v. 5. *Hi falsi fratres* 2. Corinth. 11. vers. 26. amicitiæ prętextu perniciem creantes. Hi sunt scorpiones vultu blandientes, & venenatum cauda aculeum infigentes. Hi feles lingua demulcentes, & vnguibus dilacerantes. Hi Syrenes cantu in Charybdin allicientes. Hi ex eodem ore calidum flant, & frigidum.

Quis bilinguis.

Quanta bilinguiũ improbitas.

§. Sunt simulatores ficti laudatores, vt sint veri obtrectatores, vt illi Mat. 23. v. 15. vsq; ad 23. *Sunt sepulchra dealbata, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia* Matth. 23. ver. 27. *Sunt operarii subditi transfigurantes se in Apostolos Christi, & ministri Sathanæ, qui transfigurat se in Angelum lucis*, vt illustri specie decipiat incautos. 2. Cor. 11. vers. 13. 14. 15. Volunt hi contra naturam, quasi *ex eodem fonte dulcem profundere aquam & amaram.* Iacob. 3. v. 9. 10. 11. Hos notat & execratur Scriptura Psalm. 54. vers. 12. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Eccles. 19. v. 23. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo,* Iacob. 1. v. 8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*

§. Ejusmodi simulatores plærumq; sunt honorum cupidi. Rectè Innocentius III. de vilitate conditionis humanæ. lib. 2. *Ambitiosus*, inquit, *semper est pauidus, semper attentus: ne quid dicat, quod displiceat, humilitatem simulat,*

simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur, & obsequitur, cunctos honorat, universis se inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit & amplexatur, applaudit, & osculatur.

§. Inuadit & hic fucus & simulationis pestis sæpè in Clericos, neque enim sine graui causa præcepit Apostolus tales in Ecclesiasticum Ordinem non cooptandos, vel confirmauit S. Ioannes Chrysostomus nihil magis nocere Ecclesiæ, quam versutam simulationem. *A Propheta vsq; ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, ait Deus* Hier. 6. v. 13. Ejusmodi simulator fuit in Apostolico cœtu Iudas, qui non solum in cœna, sed etiam in ipso proditionis articulo tanquam culpæ expers & Christi discipulus & amator esset, non dubitauit eum consalutare, exosculari, & sic hostibus tradere. Ejus farinæ potens simulator fuit sceleratus Sacerdos Alcimus 1. Mach. 7. v. 12. ad 19. Et 2. Mach. 14. v. 3. Talis Princeps Sacerdotum Ananias, cui dicebat Apostolus Actor. 23. v. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* Promittuntur sæpè aurei montes nec præstantur ferrei. Non nemo captans Sacerdotium aut id genus aliud, & existimans singulorum promissione se manu omnium comprehendisse suffragia, post publicum conuentum quasi somniasset, aperit manum suam & nihil in ea reperit.

Proditorem Iudam hypocrita simulatur.